

Sacramentum, quia sive quælibet unctio producat statim suum effectum Sacramentalem, sive ex eis nullus habeatur effectus Sacramentalis, nisi in ultima, omnes tamen Unctiones sunt partes Sacramenti, ipsum inchoantur per suam propriam materiam, & formam cum relatione ad ultimum completivum Sacramenti, & omnes simul factæ producunt complementum, & unitatem Sacramenti, cui non officit pluralitas Ministrorum exemplo Eucharistiæ, quam plures consecrant, vel simul, vel successivè, si Sacerdos moreretur ante consecrationem Calicis, post consecratam Hostiam, & exemplo Ordinis, si primo Episcopo deficiente post datam facultatem consecrandi, alius completeret Ordinem dando potestatem absolvendi: sufficit enim virtualis intentio horum plurium Ministrorum consecrandi unicum Sacramentum; ut latissimè disputando comprobant Suarez d. disp. 43. sect. 2. à num. 4. & segg. Diana Coordinati tom. 2. tract. 4. resol. 21. & 22. in quibus DD. cumulat. Volpi d. resol. 78. num. 10. subdicens quod Ministrorum pluralitas non tollit unitatem Sacramenti, quia instrumentaliter tantum operantur; mutatio autem malleorum non tollit unitatem operationis fabri. Matruius d. disp. 6. à num. 133. usque ad num. 137. Eminent. Card. de Lauræa d. disp. 11. à num. 114. & à num. 125. novissimè prælaudatus Canonista Pignatellus in cit. tom. 2. consult. 84. numer. 26. & 27.

Quartus tandem casus, in quo disputatur de pluralitate Ministrorum in hoc Sacramento est, quando unus ungit unum organum, & recitet formam, deinde alius successivè ungit aliud organum recitando propriam pariter formam, & sic detribus, quatuor, vel pluribus ministris. In hoc casu, eos valde agere concedunt omnes Doctores ex rationibus supra allegatis; non autem licitè, nisi in illis duobus casibus necessitatibus, quos explicavimus supra, num. 12. videlicet si Sacerdos incepta ministratioe Olei Sancti moreretur, antequam omnes Unctiones perficeret, vel si manifestus esset transitus infirmi ad aliam vitam, & à pluribus Sacerdotibus celeri manu plura organa cum suis formis Oleo Sancto signarentur; quamvis magis laudabile foret, ut ab uno, & eodem Sacerdote omnes sensus velociter ungerentur sub unica forma eos omnes exprimente, ex Resol. 13. 21. & 22. Dianæ Coordinati in tom. 2. tract. 4. & ex monitione Gobati in Theol. Experim. tract. 8. num. 877.

DECISIO LXXI.

ARGUMENTUM.

Differitur de propriis Ministris Sacramenti Extreme Unctionis, videlicet de Episcopo erga omnes de eorum Diocesi. De prima Dignitate Ecclesiæ Cathedralis versus suum Episcopum. De Parochis erga suos Parochianos. Et de Regularibus tum Prælati respectu suorum subditorum, tum Deputatis ad Sacramenta ministranda degentibus in Monasterio; tum etiam de aliis Regularibus, qui vocati essent ab infirmis extra claustra. Disputatur celebris Quæstio, an Parochi tempore Pestis teneantur ungere infirmos Oleo Sancto cum propria vitæ periculo? Nec non quibus Laicis Regularibus possint dare Extremam Unctionem virtute suorum Privilegiorum?

SUMMARIUM.

- 1 Ministrorum Extreme Unctionis genera quinque.
- 2 Episcopus Parochus est Parochorum, & in sua Diocesi Sacramenta potest ministrare.
- 3 Episcopus dare potest Extremam Unctionem infirmis.

- 4. Imò aliquibus debet, num. 4. & 22.
- 4 Exempla infirmorum Oleo Sancto unctorum ab Episcopo.
- 5 Georgii Cornelli Senioris Episcopi Patavini charitas in dando Unctione Extrema infirmo de nobis, loco Parochi.
- 6 Capituli primæ Dignitatis competit dare Extremam Unctionem Episcopo.
- 7 Sacrum Viaticum dare, atque Extremam Unctionem spectat ad eundem Ministrum.
- 8 Unctio Extrema olim dabatur prius, deinde Sacrum Viaticum.
- 9 Exempla Episcoporum extremè inunctorum à suis Canonici.
- 10 Parochiale officium est dare Extremam Unctionem, Sacrum Viaticum, & sepulturam.
- 11 Parochus tenetur dare Extremam Unctionem de iustitia, & sub pœna mortalis peccati sui Parochianis graviter ægrotantibus.
- 12 Parochiale onus laboriosissimum.
- 13 Pauli Segorrii libellus. II Parochi instruito, ad cuius instantiam prodit?
- 14 Parochi negligentis in Cura puniendi ab Episcopo.
- 15 Presbyter antiquitè denotabat Parochum.
- 16 Pestis tempore an Parochi tenentur ungerere infirmos cum periculo vitæ? Rationes pro affirmativa n. 17. Pro negativa n. 18.
- 17 S. Congregat. Cardinales discordes circa Extremam Unctionem à Parochis dandam tempore Pestis, S. Caroli Borromeo requirentes.
- 20 Diffinitio circa obligationem ungerendi infirmos à Parochis tempore Pestis.
- 21 Extrema Unctio facit de atritu contritum.
- 22 Episcopus in defectu Parochi tenetur dare Extremam Unctionem.
- 23 Prælati Regulares an sint obligati dare Extremam Unctionem suis subditis?
- 24 Regulares dant Unctionem Extremam omnibus degentibus in Monasterio, Familiaribus, Hospitiis, atque Mercenariis.
- 25 Bibliophaeum nobilissimum Monasterii S. Justine de Padua.
- 26 Tertiarii, ac Tertiaria in quibus recipiant Extremam Unctionem.
- 27 Regulares Præsidentes Seminariis, aut Collegiis studiorum an dent Extremam Unctionem alumnis graviter ægrotantibus?
- 28 Regulares quando possint dare Extremam Unctionem in alienis Parochiis?

Tertia disputatio, quam circa Ministrum Sacramenti Extreme Unctionis faciunt Theologi, est, An quilibet Sacerdos licitè, & validè possit eam ægrotantibus ministrare? Reducitur autem hæc disputatio ad quinque genera personarum, videlicet ad Episcopos, ad Primam Dignitatem Capituli, ad Parochos, ad Regulares, & ad simplices Sacerdotes, etiam nominatim Excommunicatos, vel degradatos; de quibus omnibus breviter est videndum.

Quo ad Episcopum, extra omnem controversiam est, quod in tota sua Diocesi licitè, & validè ministrat omnia Sacramenta suis Diocesanis; est enim Parochus Parochorum, & Ordinarius in tota sua Diocesi, ad quem principaliter pertinet cura omnium animarum ejusdem sue Diocesis. cap. Quicumque. 10. qu. 1. cap. Præcipimus. 12. quæst. 1. Angelus Verb. Confessio 3. §. 3. Pax Jordanus tom. 1. lib. 3. tit. 3. num. 1. & 2. ubi notat omnes Parochos in civitate, & Diocesi esse coadjutores Episcopi in cura animarum, & administratione Sacramentorum, ut deducitur ex cap. Inter cetera in fine, ubi Glossa, & DD. De offic. ordin. Et sicut Episcopus potest ubique in sua Diocesi audire Confessiones Sacramentalis,

tales, & ministrare Sacramentum Penitentiae, ut dixi De Penitentia Decis. 39. num. 3. multò magis potest dare Sacramentum Extreme Unctionis, quod dicitur Penitentiam consummativam. Idem Jordanus d. lib. 3. tit. 3. num. 1. & 2. & circa hoc punctum est decisio in terminis in c. Illud superfluum. dist. 95. ubi Innocentius Papa I. ita respondit: Illud superfluum videmus adjectum, ut de Episcopo ambigatur, quod Presbyteris licere non dubium est. Nam idcirco de Presbyteris dictum est; quia Episcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non possunt. Ceterum si Episcopus aut potest, aut dignum ducit aliquem à se visitandum, & benedicere, & tangere Chrismate, sine cunctatione potest cujus est ipsum Chrismate, idest Oleo, quod notavi supra Decis. 1. numer. 2. docens rationem, quare oleum dicitur Chrisma.

Igitur Episcopus pro sui beneplacito potest Sacramentum Extreme Unctionis suis subditis ministrare, ut in terminis probat Ivenius in suo Commentar. Histor. & Dogmat. de Sacram. Extrem. Unct. Dissert. 7. quæst. 6. cap. 2. ubi allegat exemplum Caroli Magni Imperatoris, qui ab Episcopo fuit Sacra Unctione inunctus, & Beatae Mauræ, quæ pariter Extremam Unctionem accepit à Prudentio Episcopo Tricasinio; nam in defectu Parochorum ipse Episcopus obligatus est de iustitia dare hoc Sacramentum, ut affirmat DD. citati infra numer. 22. Est autem notata dignum, quod advertit Pax Jordanus d. lib. 3. tit. 3. num. 9. videlicet, quod si aliquando Episcopus vel ob necessitatem, vel ob eminentiam infirmi, aut propter charitatem, vel alium respectum istud Sacramentum voluerit administrare, debet servare Ritum, & præcepta universaliter præscripta ministris illius in Rituali Romano; nihil enim particulariter præscribitur servandum ab eo diversum ab aliis Ministris. Et hic non est sub oblivione omitterendum eximie charitatis exemplum gloriosæ memoriæ Illustrissimi, ac Reverendissimi Georgii Cornelli Episcopi Patavini filii Serenissimi Ducis Reipublicæ Venetiarum Joannis Cornelli, qui anno 1650. cum esset in visitatione Terræ Montaneæ, hospitans, ac dormiens in domo Archiepiscopali, audivit media nocte nonnullos jaenam ejusdem domus pulsantes, cumque nullus responderet, furexerat de lecto pissimus Antistes, aperuit fenestram, & quæsit, quis esset? Hi, qui pulsabant, dixerunt, se postulare Archiepiscopum, ut prepararet ad dandam Extremam Unctionem cuidam egeno in sua Parochia morti proximo. Episcopus statim vocat unum de capellanis suis, & celeriter induit vestes, & accepto Sacro Oleo processit ad infirmum; (non enim aderat Archiepiscopus, qui relicti cubilibus suis pro commodo Prælati, ac familiarium ejus, iverat dormitum apud suos confanguineos.) Igitur Urbis Patavinæ Pastor consolatus languidum, & in conformitate Divinæ voluntatis confortatum Sacramentum Unctionis Extreme munivit, adstantibus pluribus vicinorum, qui audito Episcopi accessu convenerant, venerantes ejus pietatem, eò magis conspiciam, quò constantiorem in adfinita; non enim voluit Antistes descendere, nisi orto sole, & postquam Archiepiscopus accessit venerat usque ad exitum illius animæ remansurus. Hæc dicta sint in obsequium prædicti celsissimi Episcopi, à cuius clementia ad minores, & sacros ordines promotus fui, & cui eadem dignum me fecit, ut infervirem, post Doctoratus lauream acceptam, primum tamquam Promotor Fiscalis ejus Episcopalis Curie, deinde ut ejus Auditor in spirituali regimine totius Diocesis, & in examinandis Confessariis, multiplici cum munificentia, & benevolentia ipsius signo. Hæc de Episcopo.

Quò ad primam Dignitatem Capituli. Ad hæc

spectat tradere Extremam Unctionis Sacramentum Episcopo morienti, prout etiam Sacrum Viaticum; ut statutum est in Cæremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 38. Bauldry in Manuali Sacrament. Cæremon. part. 5. d. libr. 2. cap. 38. & Cathaldus in Praxi Cæremon. lib. 1. sect. 10. cap. 12. num. 3. Neque obstat, quòd liber Cæremoniale Episcoporum dist. cap. 38. nominet primam Dignitatem Capituli tantummodò in administratione Sacri Viatici: ibi: Tum majori, qua poterit, devotione, & humilitate, Sacrum sumat Viaticum; quod illi deferat prima Dignitas comitante Capitulo, & toto Clero Cathedralis Ecclesiæ in habitu Ecclesiastico, & cum candelis accensis. Quia dispositio loquens de uno ex his duobus Sacramentis, debet habere locum etiam in alio; siquidem etiam antiquissimis temporibus ad unum, & eundem Sacerdotem spectabat porrigere infirmo Sacrum Viaticum, & ministrare Extremam Unctionem; cum hoc solo discrimine, quòd antiquitus dabatur prius Extrema Unctio, & post illam Sacra Communio per modum Viatici; ac notat Menardus in libro Sacramentorum. Sancti Gregorii pag. 334. Vers. Deinde communicet eum Corpore, & Sanguine Domini. Ubi sic ait: Quod valde notandum est, quia olim ungebatur infirmus, antequam sumeret Viaticum Corporis, & Sanguinis Domini. Et allegat decretum Eusebii Papæ apud Burchardum lib. 18. cap. 11. & apud Ivenum lib. 15. cap. 35. quod erat hujusmodi: Sacerdos impleat omnia sicut supra circa ægrotum penitentem scriptum est, idest, Orationes dicat, & ungit eum Oleo Sancto, & Eucharistiam ei donet. Igitur unus, & idem erit minister Unctionis Extreme, & Sacri Viatici antiquitus, & unus, ac idem esse debet nostris temporibus, qui Episcopo morienti exhibeat Sacrosanctam Eucharistiam, & impertiat Unctionis Extreme Sacramentum; nempe prima Dignitas de Capitulo Ecclesiæ Cathedralis.

Confirmatur exemplo S. Henrici Episcopi Lubecensis, de quo Arnoldus lib. 3. Histor. Slav. cap. 3. sic scribit: Confortatus in Domino, convocatis Fratribus (idest Canonici suæ Ecclesiæ Cathedralis, ut offensum est supra Decis. X. num. 21.) dicebat, se jam resolvi, & accipiens Sancti Olei Unctionem, (utique à prima Dignitate eorumdem Canoniorum) manus ipse porrigebat, pedes extendebat, cum psallentibus psallebat, sumptoque Viatico Domini Corporis dixit: O Rex glorie veni cum pace. Concordat id, quod de Sancto Guilelmo Archiepiscopo Bituricensi scribit Surius in ejus Vita die 10. Januarii; videlicet: Fratribus convocatis (idest Canonici) Extrema Unctionis Sacramentum humiliter, ac devotè suscepit. Et eo percepto etiam Sacrosanctam Eucharistiam sibi porrigi instantissimè postulavit. His addere licet exemplum S. Caroli Borromei Archiepiscopi Mediolanensis, de cuius ultima infirmitate ita loquitur Jo. Petrus Justanus in ejus vita lib. 7. cap. 12. Il Padre Adorno avvisò incontanente il Cardinale, e le disse con molte lagrime, che era giunta l'ora sua di partirsi da questa vita, e che il Signore lo chiamava a sé, avvisandolo se voleva il Santissimo Viatico. Rispose, che lo dimandava istantemente, ed interrogato, chi lo doveva comunicare, disse, l'Arciprete del Duomo. Questi era Monsignor Giovanni Fontana ora Vescovo di Ferrara, che era all'ora Arciprete in questa Metropolitana. Et statim post acceptum Sacrum Viaticum dedit ei Sacramentum Extreme Unctionis, ut ibidem subdit idem Auctor, nam ad ministrandum hoc Sacramentum Episcopo morienti de Jure vacanda est prima Dignitas Ecclesiæ Cathedralis, ut dictum est supra.

Quo ad Parochum: certum est ad eum spectare ex 10 officio administrationem hujus Sacramenti ægrotantibus graviter in sua Parochia; siquidem dare Extremam Unctionem infirmis est Jus Parochiale, prout est dare







chus ipse, vel Episcopus, ut mox fuit supra explicatum. Idem docet Suarez d. disp. 44. scđ. 3. & Gobatus in Theol. Exper. lib. 1. n. 137. 138. & 139.

Quod si sermo veretur circa Regulares deputatos ad hoc Sacramentum ministrandum egrotantibus in Monasterio; certum est ab eis esse dandum omnibus religiosis professis, ac Novitiis, nec non Oblatis, & aliis habitum religionis ibi deferentibus. Ulterius possunt illud dare, Primò familiaribus suis secularibus, idest servitoribus, non solum servitoribus toti Monasterio in communi, sed etiam alicui Prælato, Monacho, aut Religioso in particulari; tam si habitent continuò intra septa Monasterii, quam si soliti sint extra illud in domo propria pernoctare, casu quo corripantur lethali agitudine in ipso Monasterio. Tamburin. d. tom. 2. disp. 7. q. 3. num. 9. Gobatus in Theol. Experim. d. trađ. 8. numer. 862. 863. & Biffus tom. 2. Verb. Minister Sacramentor. §. 29. qui idem affirmat de laicis servientibus in prædiciis, & Grangiis eorundem Regularium. Secundò commensalibus, idest illis, qui amicitia causa per aliquos dies commorantes in Monasterio, ibi infirmantur; vel ad exercitia spiritualia peragenda, aut ad aliquod negotium discutiendum. Gobatus d. trađ. 8. numer. 864. & 865. Suarez tom. 4. de Religi. trađ. 10. lib. 9. cap. 4. numer. 16. Pellizzari in Manuali Prælator. tom. 2. trađ. 8. cap. 3. n. 326. ubi loquitur de omnibus Hospitibus. Quintanadvenas in Singulari. trađ. 5. Singulari. 4. numer. 5. Tertio mercenariis, & operariis conventibus in claustris eorundem Religiosorum, si forte in eis gravi infirmitate decumbant; quorum hominum laicorum diversa ubique genera in omnibus Regularibus domibus occupantur, pro custodiendo tritico, reparandis doliis, componendis pharmacis, & his similibus laboriosis operibus; vel industriosis artificis, prout hinc temporibus experimur in Illustrissimo Cenobio S. Justinae hujus Civitatis, in quo Abbas, & Monachi Casinenses astruunt Nobilissimum, & verè Regium Biblioplylacium, circa quod insunt tribus ab hinc annis non pauci fabri lignarii, plateas ex lignis pretiosissimis, librorumque receptacula affabrè cum columnis, & cochleis erigentes. Quarto Regulares dant Extremam Unctionem Tertiaris moribundis, deferentibus habitum eorum Religionis, dummodo habitent in conventu, emissis votis saltem simplicibus paupertatis, castitatis, ac obedientia; non etiam si degant in propriis domibus laicalibus, vel in Eremitoriis separatis; hi enim quò ad Sacramenta tempore mortis recurrere debent ad proprios Parochos, prout docui de Penitentia decif. 39. numer. 24. & idem dicendum est de Mulieribus Tertiaris, vulgò Pizzochere; quæ censentur subjætae suis Parochis sive vivant in domibus consanguineorum, sive collegialiter absque clausura (qui est abusuf maximus) ut ostendi in eodem tractatu de Penitentia Decif. 40. per totam. Pellizzarius dicit trađ. 8. cap. 3. numer. 327. Rodriguez Q. Regul. tom. 6. trađ. 8. resol. 30. quæ nunc posita est in opere ejus Coordinato tom. 7. trađ. 1. resol. 351. ubi ponit per extensum Epistolam S. Congregationis ad Episcopum Mutinae diei 17. Junii 1639. in qua inter cætera scribitur ad eundem Episcopum ita: *Questi miei Eminentissimi Signori &c. quanto al secondo articolo della Tertiaria sono stati finalmente di parere, non aver potuto li Frati del Convento suddetto, in vigore di qualsivoglia Privilegio dell' Ordine loro, amministrare li Sacramenti della Comunione per Viatico, ed Estrema Unzione, nè meno andare a levare il cadavere di casa professionalmente, senza intervento, o licenza del proprio Parroco, essendo queste funzioni proprie de' Curati.* Quintò tandem dubitari potest, an Regulares prædicates Seminariis, vel Collegiis studentium erectis extra eorum cenobia, possint dare

Extremam Unctionem, simulque Sacrum Viaticum iisdem studentibus Laicis, ac famulis Laicis pariter ibi infervientibus, casu quo agrotent ad mortem? Casus iste frequens esse potest, si vel RR. PP. de Somasca, vel Societatis Jesu ponantur ad regimen, & instructionem vel Seminarii Episcopalis, vel juvenum nobilium in aliqua particulari domo; prout jam nonnullis ab hinc annis servabatur Tarvisii Eminentiss. Cardin. de Lugo in Responsi. Moralib. lib. 4. dub. 33. ita distinguit: Vel Regulares ipsi conducunt eam domum, in qua recipiunt juvenes ad studendum, & convivendum; vel è contra domus conducta est ab Episcopo, vel à Decurionibus Civitatis, aut à quocumque alio pro edocendis, & bene educandis juvenibus, & ad eos edocendos, ac bene educandos assumunt Regulares. Primo casu poterunt Regulares ministrare Sacrum Viaticum, & Unctionem Extremam graviter decumbentibus in illa domo, absque alicujus Parochialis licentia, virtute Privilegiorum, quæ ibi à prædicto Eminentissimo Lagone enumerantur, & ratio est, quia ipsi Regulares sunt domini principales domus illius; studentes autem, & conviventes sunt eorum commensales, & hospites. At in secundo casu minimè poterunt; nam è contra ipsi Regulares sunt simplices convictores, & famulantes iisdem studentibus in bono morum, ac litterarum instructione, & hujusmodi sunt, (ut ait idem Emin. Auditor) PP. Societatis Jesu, qui Romæ præsidunt Collegiis, ac Seminariis Germanico, Anglico, Scotico, Maronitarum, & consimilibus; nullam enim in eis exercere Jurisdictionem spiritualem, neque faciunt officia Parochialia, ut latissimè in dicto dub. 33.

Quòd si loquamur de Regularibus pro danda Unctione Extrema secularibus agrotantibus in quocumque parte Civitatis in propriis eorum agrotantium domibus; concursis est omnium scribentium doctrina, quòd absque licentia vel Episcopi, vel Parochi, non possunt Regulares eosdem agros extremè ungeri; & si hoc facere præsumerent, incurrerent in excommunicatione contra eos latam in Clement. 1. de Privilegiis; quæ est Papa reservata. Porò omnes DD. concedunt, licitè à Regularibus ungi Oleo Sacro quoscumque graviter decumbentes in casu necessitatis, quæ talis censetur, si Parochus sit absens, vel irrationabiliter recuset ungeri infirmum Parochianum suum. Ita Peyrinus in Comment. ad Constit. 21. Leonis X. numer. 15. Busembaum lib. 6. trađ. 5. cap. 7. Quintanadven. tom. 1. trađ. 5. Singulari. 3. numer. 7. Biffus d. Verb. Minister Sacramentor. §. 27. Volpi d. resol. 78. numer. 5. & 6. Lezana in Summa tom. 1. cap. 21. numer. 10. nec non tom. 3. Verb. Extrema Unctio n. 1. Salmanticenses d. trađ. 7. de Sacramentis. cap. 5. numer. 4. & 5. & Diana Coordinatus alios Theologos sic docentes cumulat, tom. 2. trađ. 4. resol. 29. quæ in veteri opere jacet in part. 5. trađ. 3. resol. 82. Ratio illa est, quia præsumitur tacita licentia Summi Pontificis, ac etiam Episcopi in prædictis casibus, cum eorum mens, & intentio sit, ut fideles recipiant oportuno tempore Sacramenta à Christo Domino instituta pro ipsorum fidelium spirituali salute, & quando agitur de aliquo bono opere licitè faciendo, in quo non est necessaria Jurisdictio, sufficit præsumptus consensus Superiorum. Ut rursus autem teneatur Regulares cum periculo propriae vitæ prestare alicui moribundo seculari extra clausura degenti Unctionem extremam; patebit ex dicendis in Decisione sequenti.

DECISIO LXXII.

ARGUMENTUM.

Demonstratur, quando simplices Sacerdotes licitè possint ministrare Extremam Unctionem; & quòd

& quòd ad eam dandum prohibiti sunt Sacerdotes Excommunicati publicè denunciati, & ab officio suspensi. Examinatur ardua Quæstio, An simplices Sacerdotes, absente Parochio, obligati sint sub mortali, cum periculo propriae vitæ, inungere infirmum Oleo Sacro? Explicatur Præceptum Charitatis, & ordo servandus in diligendo proximo, ac deciditur Quæstio affirmativè cum conditionibus, de quibus in ea. Refellitur opinio contraria Joannis Sanctii, & P. Thomæ Tamburini; eorumque sinistra interpretatio doctrinae S. Thomæ, circa obligationem dandi vitam corporalem pro salute spirituali nostri proximi. Ultimò traditur, An Medicus tempore Pestis obligatus sit mederi infirmis.

S U M M A R I U M.

- 1 Sacerdos simplex an sit obligatus dare Extremam Unctionem cum propriae vitæ periculo? & numer. 9. & 13. & 31.
- 2 Sacerdos simplex licitè non dat Extremam Unctionem, est validè, sine licentia Episcopi, vel Parochi.
- 3 Clerici seculares in odioso non veniunt nomine Religiosorum, neque Novitii.
- 4 Novitius Sacerdos datus Extremam Unctionem laico non incurrit in excommunicationem.
- 5 Sacerdos simplex, absente Parochio, an sit obligatus dare Extremam Unctionem?
- 6 Excommunicatus Sacerdos publicè denunciatus an possit dare Extremam Unctionem?
- 7 S. Hermenegildus redè recusat Euebarisium de manu Episcopi Ariani.
- 8 Ecclesia potest privare Excommunicatos facultate ministrandi Sacramenta.
- 9 Præceptum diligendi proximum quò jure intraducendum?
- 10 Ordo servandus in dilectione proximi, & sui ipsius.
- 11 Bonorum tria genera, & quæ?
- 12 Corpus perdendum pro salute animæ nostri proximi. Et quo in casu?
- 13 Evangelii loca præcipiente dare vitam corporalem pro spirituali proximi. Ac SS. Patrum sententia.
- 14 S. Sebastianus, & S. Vitalis miles corpus suum exposuerunt morti, pro salute spirituali proximi.
- 15 Jo. Sanctii opinio de non perdenda vita corporali pro salute spirituali proximi. Ejus insulsa interpretatio doctrinae S. Thomæ.
- 16 Thomæ Tamburini reprehensibilis adhesio opinioni Sanctii contrariae præcepto Charitatis, & omnium Theologorum doctrina.
- 17 Sicuti dicitur an importet similitudinem? & numer. 26.
- 18 Debet Verbum an importet præceptum? & numer. 28.
- 19 Bona spiritualia gratiora sunt Deo, quàm temporalia.
- 20 Præcepti Charitatis erga proximum verus intellectus.
- 21 Cardinalis de Laurea opinio circa Præceptum Charitatis erga proximum.
- 22 Collegii Salmanticensis doctrina de eodem Præcepto.
- 23 Nicolai Baldelli Theologi Soc. Jesu doctrina de Charitate proximi.
- 24 Aequalitatem perfectionis Deus à nobis cum sua non requirit, sed imitationem.
- 25 Verba S. Jo. Et nos debemus pro fratribus animas ponere sunt de Præcepto, non de solo consilio intelligenda.
- 26 Necessitate spirituali extrema proximi cessante, De Sacramentis in genere.

non tenentur dare nostram vitam corporalem ex charitatis præcepto.

30 Vita corporalis quando sit periculo exponenda pro baptizando parvulo, audienda confessio, vel Oleo Sacro unguendo moribundo.

31 Medicus quando sit obligatus mederi pesti infirmis sub pena peccati mortalis.

Diximus in præcedenti Decisione teneri Parochum ex iustitia ministrare Sacramentum Extremæ Unctionis cum periculo propriae vitæ, quando probabiliter scit infirmum Parochianum summesse in mortali peccato, neque posse suscipere Sacramenta Penitentia, & Sacri Viatici, vel ob perditam usum loquelæ; vel quia cum phrenesiss apprehendit; idè in præsentem non exigua est Quæstio decidenda, an in casu supradicti moribundi, si Parochus absit, obligatus sit quilibet alius simplex Sacerdos cum propria vitæ periculo Extremam Unctionem ei dare; puta, quando Pestis grassetur in civitate, & moribundus ille sit pestiferatus?

Pro resolutione Quæstionis tria sunt præexamina circa facultatem simplicium Sacerdotum in administrando hoc Sacramentum.

Primum est, quòd licet quilibet Sacerdos validè conferat illud, eò quia non requirit actualem Jurisdictionem, prout Sacramentum Penitentia, pendet enim à potestate Ordinis Sacerdotalis, nihilominus licitè ministrari non potest à Presbyteris, quibus non est commissa cura animarum, cum ejus ministratio sit officium Parochiale; sed opus est licentia vel expressa, vel præsumpta aut Episcopi, aut proprii Parochi, ut advertunt omnes Doctores. Sotus in 4. dist. 23. q. 2. art. 1. Silvest. Verb. Unctio Extrema numer. 4. Layman lib. 5. trađ. 8. cap. 6. numer. 2. Tamburin. de Jure Abbat. tom. 2. disput. 7. quæst. 1. & alii, quos cumulat Barbosa de Parochia cap. 22. numer. 2. qui omnes testantur, quòd simplex Sacerdos secularis inungens infirmum Oleo Sacro absque prædicta licentia peccat mortaliter, & est ab Episcopo puniendus; in quo incurrit in penam excommunicationis latam contra Regulares in Clement. 1. de Privilegiis, quia in odiosis Clerici Seculares non veniunt nomine Religiosorum. Gobatus trađ. 8. n. 838. & 859. Lezana in Summ. tom. 3. Verb. Extrema Unctio numer. 2. Quintanadven. Singularium trađ. 5. de Extrem. Unct. singul. 3. numer. 3. ubi confutat Vivaldum, Rodriguez, & Mirandam contrarium scribentes, & jure quidem, nam penæ non sunt extendendæ. cap. in panis. De Reg. Jur. in 6. Barbosa Axiom. 181. numer. 9. Biffus tom. 2. Verb. Minister Sacramentorum. §. 28. Imò si Sacerdos Novitius in aliqua Religione absque prædicta licentia Extremam Unctionem alicui seculari ministraret, non incurreret in anathemam excommunicationem; ea ratione, quia neque Novitii in odiosis veniunt nomine Religiosorum. Suarez in 2. p. tom. 5. de Conjuris disp. 22. scđ. 4. numer. 3. Thomas Tamburini de Triplici Jure lib. 6. cap. 3. numer. 2. exploso Navarro contrarium opinante in Manuali cap. 22. numer. 102.

Secundum est; quòd simplex Sacerdos in casu necessitatis, absente, vel deficiente Parochio, non solum licitè potest ungeri infirmum Oleo Sacro; sed etiam ad illum unguendum tenetur ex præcepto Charitatis; si id exequi potest sine gravi incommodo; itant recusando ministrare Extremam Unctionem infirmo in extremis laboranti, peccet mortaliter, etiam si esset confessus & communicatus in eadem infirmitate, Biffus d. Verb. Minister Sacram. §. 27. quamvis Caramuel in sua Fundam. Theolog. lib. 3. n. 3622. hanc obligationem sub mortali peccati penam non admittat, nisi casu, quò infirmus non receperit, aut recipere non possit alia Sacramenta, Penitentia.



nitentia, vel Eucharistia in illa infirmitate. Porro Maftrius in 4. Sent. disp. 6. n. 141. ex pluribus Theologis, ubi per eum citatis distinguit, & concordat prædictas duas opiniones, videlicet, quod peccet mortaliter simplex Sacerdos recusans inungere infirmum, qui alia Sacramenta nec suscepit, nec suscipere potest in illa infirmitate; quia si fit attritus privum eum remedio remissionis mortalium culpam, quod per susceptionem Sacramenti Extremæ Unctionis reciperet. At si prædicta alia Sacramenta obtinuit, Sacerdos simplex in dicta recusatone peccet tantum venialiter, quia denegat infirmo remedium non necessarium absolute; sed valde utile, ac proficuum animæ eius. Ita etiam docet Layman d. lib. 5. tract. 7. cap. 7. n. 3. Summa Diana Verb. Extrema Unctio. num. 22. Vers. Adverte. Et novissime P. Macedo de Clavibus Petri lib. 4. c. 3. in fine.

Tertium præexamandum est, an in prædicto casu absentia Parochi, vel ejus injusta reluctantia in ministranda Extrema Unctione moribundo, possit illi eum dare simplex Sacerdos hæreticus, seu excommunicatus præcisus, id est publicè denunciatus? Affirmat Præpositus, Coninchus, Avila, & Trulleuch, quos citat, & sequitur Diana part. 5. tract. 3. resolut. 81. & 89. ac etiam ead. part. 5. tract. 10. resolut. 78. quæ reperiuntur in Diana Coordinato tom. 2. tract. 4. resolut. 30. 31. & 32. innixi opinioni illorum, qui tenent Sacerdotes Excommunicatos publicè denunciatis, & præcisos posse in casu mortis absolvere etiam à peccatis. Sed contrarium est omnino dicendum, tum de absolute à peccatis, quam valde dare non possunt, ut probat de Pœnitentiæ Decif. 45. num. 2. tum de hoc Sacramento Extremæ Unctionis, ut docet Suarez tom. 4. in 3. part. disp. 44. sect. 2. num. 6. Ochagavia de Extrem. Unct. q. 10. n. 3. Villalobos in Summ. tom. 1. tract. 10. difficult. 6. num. 6. Tannerus tom. 4. disp. 7. q. 1. dub. 3. n. 64. Biffus d. tom. 2. Verb. Minister Sacramentorum §. 27. & magistraliter Fagnanus in cap. Non est vobis num. 6. de Sponsalibus, ubi in puncto probat, neque Sacram Viatum, neque Extremam Unctionem esse recipiendam ab hæreticis, vel ab excommunicatis publicè denunciatis, & citat S. Thomam in 4. disp. 19. quest. 1. art. 2. q. 2. ad 3. & allegat memorabile exemplum S. Regis Hermenegildi, qui iussu Patris occisus est, eod quod noluerit Sacram Communionem recipere de manu Episcopi Arriani, ut habetur in cap. Cæpit. 24. q. 1. & tandem subdit; quod sicut Christus noluit lapsus post Baptismum præbere remedium absolute dandum ab omni persona, prout fecit de ipso Baptismo, sed tantum ab habente characterem Sacerdotalem; nullo necessitatis casu excepto, ut ait Glossa in cap. Pastoralis. §. Pœnitentiæ. Vers. Præterquam in mortis in fin. de Offic. Ordin. ita Ecclesia ad imitationem Christi potuit disponere, ut peccantibus post Baptismum non possint dari Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis ab Excommunicatis Sacerdotibus præcisus, neque in articulo mortis arg. cap. Significasti in princ. de Elid. Et sic declarasse Sacram Congregationem Concilii testatur idem Fagnanus in d. cap. Non est vobis. num. 2. referens DD. antiquos tam Theologos, quam Canonistas ita sentientes, & ampliantes hanc prohibitionem etiam ad Sacerdotes suspectos ab officio. Porro hæc omnia, quæ dicta sunt de Presbyteris excommunicatis, atque suspectis, intelligi debent de illicita administratione Extremæ Unctionis; ita ut nefas sit & ab illis eam recipere, & iisdem illam administrare; secus autem de validitate Sacramenti; quod, ut dictum est, cum non pendeat à Jurisdictione, sed ab Ordine Sacerdotum, Suarez d. disp. 44. sect. 2. num. 7. asserendum venit, valde conferri etiam ab ipsis excommunicatis, aut suspectis; ita ut non sit opus reiteratione;

& infirmum, si abique culpa illud ab eis recipiat, consequi effectum Sacramenti, prout certum est de validitate consecrationis, & administrationis Eucharistiæ, quam facerent Sacerdotes excommunicati, vel suspecti.

His ita constitutis, ac præexamatis reassumenda est principalis Questio hujus Decisionis, & respondendum, an quilibet simplex Sacerdos, absente Parocho, obligatus sit sub pœna peccati mortalitatis ad Extremam Unctionem cum periculo propriæ vitæ moribundo peste infecto, quæ alia Sacramenta nec recipit, nec recipere potest in ea infirmitate? Pro responsione repetenda hæc sunt duo, quæ traduntur à Theologis circa præceptum charitatis erga proximum. Unum est, dari præceptum de diligendo proximo non solum de Jure Divino scripto, de quo Christus Dominus in Evang. Matthæi cap. 22. post relatum primum Præceptum de diligendo Deo, locutus est, dicens: Secundum etiam simile est huic, Dilige proximum tuum sicut teipsum. Sed etiam de jure positivo naturali fundatum in illis duobus principiis, lumine naturali omnibus notis; Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Et quæ tibi fieri vis, alteri facies; quod bene advertit Maftrius in Theolog. Morali disp. 20. num. 51. Alterum est, in dilectione proximi alicum ordinem esse de præcepto servandum, ut docent S. Thomas 2. 2. q. 26. art. 1. & Scotus in 1. 3. disp. 29. Et quia diligere nihil aliud est, quam velle bonum; & tria sunt bonorum genera, quæ nobis, & proximo possunt velle, nimirum Spiritualia, ut gratia, virtutes, & gloria: Corporalia, ut vita, & sanitas corporis: Ac temporalia, ut fama, divitiæ, & bona fortunæ: Ideo ordo charitatis postulat, ut post Deum quique diligat primo seipsum quod ab bona spiritualia, deinde proximum quod ad eadem bona. Postea seipsum quod ad bona corporalia, & subinde proximum quod ad eadem; ac denique seipsum, & deinde proximum quod ad bona temporalia; adeo ut quilibet sit obligatus ad tuenda bona spiritualia in se, vel in proximo, perdere bona corporalia, ac temporalia, & ad servanda bona corporalia aut ipsius, aut proximi, amittere bona temporalia, ut latè diderunt, & probant Theologi, ac Summistæ, & videri potest apud Summam Dianam Verb. Vitam exponere. Thomam Tamburin. in Decalog. lib. 5. cap. 1. §. 2. Baldellum tom. 2. de Spe. & Charitate lib. 2. disp. 19. Maftrium in 3. Sent. disp. 6. à num. 563. & seqq. & in prædicta ejus Theologia Morali d. disp. 10. num. 52. latissime apud Eminentiss. Card. de Laurea in 3. Sent. tom. 4. disp. 10. de Ordine Charitatis art. 3. per tot.

Igitur his flantibus propositæ questioni respondendum est in terminis, ac circumstantiis, in quibus ipsa proponit, etiam simplicem Sacerdotem teneri cum periculo propriæ vitæ ministrare Extremam Unctionem prædicto moribundo, qui cum sit in peccato mortali, non potest alia Sacramenta percipere, & cum presumatur solammodo attritus, non est aptus ex se elicere actum contritionis. Ratio responsionis est, quia talis moribundus reperitur in extrema necessitate spirituali, & manifesto periculo animæ; pro qua salvanda, & sublevanda quilibet Christianus, si possit, adigitur præcepto Charitatis eam adjuvare, & sublevare, prout facere valet simplex Sacerdos, absente Parocho, ministrando illi Extremam Unctionem, cujus virtute ex attrito fit contritus, recuperabit divinam gratiam, & moriens consequetur salutem æternam. Hæc responsio probatur ex doctrina Sancti Thomæ 2. 2. quest. 26. articulo. 5. in corpore, ibi; Et ideo proximum quantum ad salutem animæ magis debemus diligere, quam proprium corpus. Undè Castro-palaus tom. 1. tract. 6. de Charitate disp. 2. punct. 2. numer. 3. ita scribit: In extrema proximi necessitate debet non solum bona temporalia, sed

sed etiam vitam expendere, si tibi ipse est fore profuturum. Sic cum D. Thoma tradunt omnes ejus expostores, Cajetanus, Bannes, Aragonius, Valentia, Torres, Lorea, Azorius, Toletus, Coninch, Suarez, Bonacina.

Uterius his omnibus addendi sunt ex recentioribus Baldellus d. lib. 2. disp. 19. num. 11. Tamburin. in Decalog. d. lib. 5. cap. 1. §. 2. a. n. 5. & Eminent. Card. de Laurea d. tom. 4. in 3. Sententiæ disp. 11. de Precepto Charitatis art. 5. num. 170. ubi ponit hæc conclusionem his verbis: Dico 2. Obligatio exponendi vitam pro spirituali salute proximi in quolibet fidei, non Prelato, seu Pastore curam animarum habente, intelligitur extreme necessitatis, & quando est evidens damnationis periculum, nec alius adfit, cui esse officio incumbat succurrere. Talis autem necessitas supponitur in questione, de qua agimus, cum moribundus fit in peccato mortali, non receperit Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, neque illa possit recipere, vel ab prehenfio, vel deperditum usum loquelæ; neque actum contritionis, sed solum attritionis aptus fit in corde suo elicere, ita ut nullum aliud remaneat remedium, nisi ministratio Extremæ Unctionis, cujus virtute ex attrito fiat contritus, & ita salvetur.

Probant Theologi hæc obligationem jvandi proximum in tali extrema necessitate spirituali constitutum etiam cum periculo vitæ in quolibet fidei exsequentibus rationibus, auctoritatibus, & exemplis. Primum est illis verbis in Evangelio S. Joannis cap. 15. Vers. 12. Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi nos. Sed Christus dilexit nos exponendo vitam pro salute nostra: Ergo & nos debemus eam expendere pro spirituali salute proximi in extrema necessitate constituti. Secundò, ex alio loco Epist. 1. S. Jo. cap. 3. Vers. 16. in hoc cognovimus charitatem Dei, quia ille animam posuit pro nobis, & nos debemus pro fratribus animas ponere: quæ verba explicans S. Augustinus lib. de mandato cap. 6. inquit: Temporalis vitam suam pro æterna proximi non dabitur Christus amittere. Tertio, bona excellentiora, & gratiora Deo præferenda sunt cuiuscumque bono temporali. Sed salus animæ proximi moribundi est excellentior, & Deo gratior, quam vita temporalis simplicis Sacerdotis. Ergo. Quarto S. Augustinus ait lib. 1. de Doctr. Christ. cap. 27. Amplius alius homo diligendus est, quam nostrum corpus. Et Lyranus super d. Epist. 1. Joan. cap. 3. Vers. 16. subdit: Pro fratribus tenemus vitam corporalem pro spirituali eorum exponere; & hoc patet ex ordine charitatis, secundum quam Deus super omnia diligendus est, post ipsum animam propriam. Et tertio loco anima proximi, ultimo loco corpus. Ergo. Quintò faciunt exempla Sanctorum, præcipue S. Sebastiani, qui ut confortaret in fide Marcum, & Marcellianum fratres tormenta formidantes, exposuit vitam suam martyrio; & S. Vitalis miles SS. Gervasii, ac Protasii patet, qui cum vidisset Urscium medicum in tormentis ob christianam fidem titubare, exclamavit: Urscine medice, qui alios curare solitus es, cave ne te mortis æternæ iaculo consicias. Qua voce confirmatus Urscius martyrium fortiter subivit; & S. Vitalis captus, equole tortus, in profundam fovæam demersus fuit, ut in Brev. Roman.

28. Aprilis.

Cæterum huic responsioni se opponit Joannes Saneius in Selectis disp. 10. num. 9. ubi ex Soto de Scret. membr. 2. q. 2. post 6. concl. & ex S. Verb. Charitatis conferit, neminem cum periculo vitæ teneri infantem moribundum baptizare; & feminam gravidam, quæ filium vivam parere non potest, non esse obligatam pati incisionem ventris, ut baptizetur; & deinde ita subiungit: Nec adversatur D. Thomas 2. 2. q. 26. art. 5. dicens, obstricti esse nos plus pro Deo Sacramentis in genere.

ximi animam amore prosequi, quam proprium corpus, id est vitam. Nam intelligi debet, quod quis amore suæ conservandæ vitæ, proximo non præferat consilium patrandi scelus, sive quod possit ad necem spiritualem ipsius non concurrat; quia tunc amans vitam corporalem, æternam perdit peccato depravati consilii intercedente; at quod non omittat providere anime proximi ob conservandam propriam vitam, non affirmat D. Thomas, nisi forte, quod passim intercessisset, de non omittenda cura anime proximi etiam cum periculo propriæ vitæ. Et talem obligationem, ait, habere Parochos; postea concludit: Undè Doctores indistinctè loquentes de obligatione diligendi vitam spiritualem proximi, posthabita propria corporali, aberrant sanè; & quod ipsi nequaquam exequentur, cæteros exequi esse obnoxios, docent. Hucusque Joannes Saneius, quem non miror, ita relaxare habenas conscientiæ, & destruire præceptum charitatis, ita ut doceat, quod sit præferendum proprium corpus animæ in æternam precipienti, nisi adjuvetur, proximi, cum plures alias nimis laxas opiniones teneat; sed valde miratus sum, Thomam Tamburinum d. lib. 5. in Decalog. cap. 1. §. 2. num. 9. post transcriptam contrariam doctrinam Castro-palapi innumeris Doctoribus, & Sacræ Scripturæ auctoritatibus supra recensitis, adhærere eidem Saneio, & conatum esse respondere textui sacro dicendo, prout sequitur.

Ad primum illud, Sicuti dilexi vos, non indicare omnimodam similitudinem, sed aliquam, juxta morem Sacræ Scripturæ, Estote perfecti, dicit Pater vester perfectus est &c. Præterea Christus Dominus expendit vitam, quamvis illa nostre salutis non fuisset extreme necessaria, poterat enim alius viis homines redimere. Cum ergo nos nemo obliget in minus necessariis, clare potest illud (sicuti) non esse intelligendum secundum omnem equiparantiam.

Illud, sic debemus animas pro fratribus ponere, notat convenientiam, & consilium, non vero præceptum, ut expendentes verbum (debet) ex more Sacræ Scripturæ alibi probavimus in Opus. de Comm. cap. 1. §. 6. num. 52. Quid si contentas notari præceptum, dic illud esse dumtaxat, ne proximus ad peccatum inducatur, non autem ut à peccato abducatur, quæ est explicatio doctrine S. Thomæ modo à Jo. Saneio allata.

Ad Tertium neganda est consequentia absolute, & quatenus fuerit contra præsentem doctrinam, Pater, 21. quia argumentum nimis, ergo nihil probat. Posset enim quis sic arguere: Bona spiritualia, & maxime æterna sunt Deo gratiora, quam quodlibet temporale. Sed unus actus virtutis, sed secundum, & alii consequentes gradus gratiæ sanctificantis &c. est gratior Deo. Ergo ex charitate etiam in quocumque casu vitam postponere ego pro bono quolibet spirituali proximi deberem; quod tamen nemo dixit. Concedenda solum igitur est Castro-palao consequentia in casu inductionis ad peccatum, de qua jam constat esse præceptum, non verò abductionis ab ipso, de qua non constat; imò, ne Martini obliget ad patiendam prædictam incisionem, constat non adesse. Hæc in gratiam hujus posterioris sententiæ sint dicta, quam benigniorem, & hominum fragilitati magis accommodatam inspicibatur nemo. Hæc omnia Pater Tamburin.

Cujus quidem adhæsiō opinionio Sanctiæ, & ejus corroboratio, quam facit per supradictorum obiectorum evacuationem, destruit in universum communem doctrinam utriusque Scholæ Thomistarum, ac Scotistarum; nec non Sanctorum Patrum, qui ab initio Ecclesiæ usque ad præsens professi sunt, exarte præceptum charitatis erga proximum, nec non ordinem charitatis erga illum cadere sub præcepto, quod quidem obligat, non solum ut non inducatur proximus ad peccatum; ut asserunt Saneius, & Tamburin; sed etiam quod si proximus sit in mor.



in mortali peccato, à quo ex se exire non valeat, & in quo cogatur mori, nisi ab alio abducatur, teneatur se alius illum iurare, & à peccato abducere procepto charitatis etiam cum sui ipsius corporis detrimento. Audiatur celebrior Theologus de hac obligatione differentes.

23 Eminentiss. Cardinalis de Lauræa solitus à severioribus opinionibus abstinere, sed semper veram tradere doctrinam, in 3. Sent. d. tom. 4. De Precepto Charitatis in Deum, & proximum. disp. 11. art. 3. n. 170. ita scribit: Dico 1. Negari non potest, quod detur obligatio ex charitate exponendi propriam vitam pro spirituali vita, seu necessitate proximi. Et ad hoc probandum adductis verbis S. Joannis Apostoli Epist. 1. cap. 3. vers. 16. Quoniam ille (idest Christus) animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere: & auctoritate S. Augustini, ac Lyrani, num. 176. subdit: Probatur 2. si non adesse obligatio, sequitur Joannis dictum importare solum consilium. Sed hoc est falsum. Ergo. Minor probatur: primo, quia ait, Debemus, quod obligationem importat; itaque preceptum. Secundo quia nullus Sacre Scripture interpret explicat hunc locum pro consilio, sed omnes pro precepto. Alioquin eladeretur divinum preceptum de diligendo proximo sicut seipsum. Quilibet enim pro salute sua spirituali tenetur vitam exponere, Ergo idem tenetur facere pro proximo; alioquin non diligeret ut seipsum; sed postponeret vitæ sue corporalis spiritualium proximi, quod pro semetipso facere non potest. En itaque quo sensu hic Eminentissimus Theologus intelligit verba Evangelii præcipientia unicuique fideliter diligere proximum sicut seipsum; & ponere animam pro fratre in necessitate extrema spirituali constituto, sicut Christus posuit animam suam pro nobis. Afferre, quod talis præcepti implementum consistat tantummodo in non inducendo proximum ad peccatum; non autem in eo abducendo, quando ex se non potest exire à peccato, est destruere Evangelium. Sed audiamus in signe Collegium Salmanticense, quomodo interpretetur idem præceptum: nam in Cursu Theolog. tom. 8. tract. 19. de Charitate disp. 3. ubi sub num. 28. agens de obligatione prædicti præcepti ita loquitur:

24 Dicendum est, quod si proximus existit in extrema necessitate spirituali, tenetur quilibet sub peccato mortali ei subvenire etiam cum dispendio propriæ vitæ. Ita communiter Doctores in presenti; & merito, quia ut nuper vidimus, vita spiritualis proximi antepositur secundum ordinem charitatis vitæ corporali naturali. Sed ordo charitatis est in precepto, ut docet D. Thomas infra 2. 2. q. 44. art. 8. Ergo non potest non obligare in isto casu, qui est omnium urgentissimus. Tum etiam quia, ut dicitur Joan. 3. Sicut Christus Dominus posuit animam suam pro nobis, ita & nos debemus pro fratribus animam ponere: Quod ad minus intelligendum est de fratribus constitutis in extrema necessitate spirituali; ab hac enim eripuit nos Christus Dominus proprio cruore. Sicut igitur hoc præceptum in actuali exhibitione propriæ vitæ corporalis, ut vita spiritualis proximi extreme indigentis à damnatione æterna eripitur, illum, cum possimus, abducendo à peccato.

Audiamus etiam P. Nicolaum Baldelli eximium Societatis Jesu Theologum, qui tom. 2. Theol. Mor. lib. 2. disp. 19. num. 8. differit ita: Dixi verò non solum esse licitum, sed etiam esse debitum in aliquibus casibus, ut quis patiatur sacrificium bonorum temporalium, aut corporali, ne proximus eam patiatur in bonis spiritualibus; quia si proximus sit in extrema necessitate spirituali, est pro illo etiam vita exponenda periculo, ut patet ex S. Thoma 2. 2. q. 26. art. 5. ad 3. ubi assertit de necessitate charitatis non esse, ut qui exponat proprium corpus pro salute proximi, nisi in casu, quo tenetur providere alius salutem, idest in casu necessitatis extreme, quantum est ex necessitate proximi; vel in casu, quo quis specialiter tenetur ex officio (intelligit de Episcopis, & Parochis) & 2. 2. q. 44. art. 8. ad 2. ubi assertit etiam ordinem charitatis cadere sub precepto; & idem unumquemque teneri diligere magis proximum, quam proprium corpus, & pro illo debere ponere etiam vitam, idest, saltem in casu extreme necessitatis, ut exponunt DD. communiter. Cajetan. ibid. Bannes ibid. concl. 2. Valentia 2. 2. disp. 3. quest. 4. part. 3. concl. 5. §. 4. dico col. 604. Suarez disp. 9. sect. 3. cit. num. 2. & tom. 4. de Penitent. disp. 44. sect. 3. num. 7. Alex. part. 3. q. 189. membr. 3. Navarr. in Manuali cap. 24. num. 9. Hæc omnia P. Baldelli. Ex quibus omnibus manifestum remanet, doctrinam Sancti, & Thomæ Tamburini supratelam esse prosumt proferendam. Neque subsistunt responsa ejusdem Tamburini ad probationes contrarias adductas à Castropalao.

Non primum, ad illa Verba, Ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Jo. 15. 12. quod dictio Sicut non indicet omnimodam similitudinem; & licet Christus mortuus sit pro nostra spirituali salute, non intellexerit obligare nos ipsos ad moriendum, si opus sit, pro salute spirituali proximorum. Quia imò hæc Vox Sicut de sui natura importat omnimodam similitudinem, & identitatem. cap. Olim. de Verb. Signif. cap. Cùm in Ecclesia. de Præbend. in 6. & stat similitudinariè, & exemplificativè, ut ait Peregrinus celeberrimus Jurisconsultus Patavinus lib. 2. conf. 32. num. 29. Barbosa de Dictionib. usufrequent. Dicit. 366. num. 1. & 2. ubi, quod idem importat Sicut, ac si diceretur Eo modo. Unde fit, quod cum Christus Dominus dixerit Apostolis, & in Apostolis toti Ecclesie suæ, ac ceteris fidelium, Hæc est preceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos; & ex motivo dilectionis ipse non recusat se subire mortem Crucis, ut nos liberaret à morte peccati, ita vellet, nos non reculare periculum mortis corporalis, si veniat casus adjuvandi proximum, ne pereat morte spirituali, à qua nisi ope nostro possit liberari, & hoc ad exemplum nostri Redemptoris. Neque obstat, quod si sicut in Sacra Scriptura non sit intelligendum secundum omnem æquiparantiam, nam dicente Christo Matth. 5. 48. Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est, quis poterit esse æqualis in perfectione cum Deo? Nam respondetur, non requirere Deum à nobis æqualitatem perfectionis, sed similitudinem, idest imitationem ejus infinitæ perfectionis, sanctitatis, ac beneficentiae erga homines; & quamvis Christus potuisset eos redimere à morte spirituali absque ejus morte corporali; nihilominus eam subit ob nimiam charitatem suam erga nos; ut ad similitudinem, ac exemplum ipsius parati simus ex precepto charitatis perdere proprium corpus, si opus sit, pro proximi nostri spirituali salute, & in hoc sensu Expōsitores Sacre Scripture in d. cap. 5. Matth. Vers. 48. inter quos Cornelius à Lapide, & Tirinus, notant, si sicut non denotare æqualitatem perfectionis humanæ cum Divina, sed similitudinem, idest imitationem, quo magis possumus, eminus practicandam.

25 Non subsistit secundum responsam Tamburini, quod illa verba 1. Joan. 3. 16. Et nos debemus pro fratribus animas ponere, sint de consilio, non autem de precepto; quia ut doctè scripsit Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 11. de Charitate num. 176. hoc est falsum; nullaque ex expōsitōribus ausus fuit id asserere; sed omnes tam Scripturistæ, quam Scholasticæ, & Morales centent verba illa S. Joannis innuere præceptum in casu extreme necessitatis spirituali proximi, ut supra probatum, & declaratum est. Apud Canonistas autem, & Jurisperitos est luce meridiana clarior, quod verbum Debet importat præceptum, & parendi necessitatem, Barbosa, qui

qui innumeris text. congerit, ac Doctores Dicit. 77. à num. 1. & sup. novissimè Fagnanus in c. Qualiter num. 37. De Clericis non resident. Sed quia P. Tamburinus in hac negatione præcepti non insistit, sed approbat erroneam illam Sancti interpretacionem, quod sit quidem præceptum ponendi pro fratribus animam, sed dumtaxat, ne proximus ad peccatum inducatur, non autem ut à peccato abducatur; est quid novum, & inaudium in Scholis, & apud SS. Patres, qui omnes semper professi sunt, quod hoc præceptum urgeat, ut proximus, qui ex se exire non potest à peccato, à peccato abducatur etiam cum periculo mortis abducens. Hinc S. Cyrillus explicans verba Christi Joan. 13. 34. Uti diligatis invicem, sicut dilexi vos, ait: Ut sicut ego pro vita vestra spirituali dedi vitam meam corporalem; sic & vos pro salute animarum impendatis vitam corporis; ut refert Cornel. à Lapide in d. cap. 13. Vers. 34. allegans ibidem aliorum SS. Patrum consimilem expōitionem.

26 Tertium tandem responsum P. Tamburini est omnino frivolum, quod scilicet, si præceptum charitatis obligare cum periculo vitæ pro procuranda proximi, extreme indigentis, salute spirituali, esse minus obligati vitam perdere etiam pro quocumque gradu gratiæ sanctificantis procurando nostris proximi, tamquam gratiori Deo, uti bono spirituali. Nam hæc est sophistica digressio à casu, in quo præceptum obligat ad dandam vitam corporalem pro vita spirituali, videlicet, quando proximus est in extrema spirituali necessitate; neque de per se potest adjuvari, neque est alius modus illud adjuvandi, nisi cum periculo nostræ vitæ corporalis. Acquisitio secundæ, vel ulterioris gradus gratiæ non est necessitas extrema, in qua proximus sit perditurus vitam spirituales, & potest de per se, Deo adjuvante, proficere, & illos secundæ gratiæ gradus acquirere. Præceptum verò, de quo loquimur, concernit acquisitionem primæ gratiæ, quam proximus adipisci non potest, nisi ei alius proximus auxilietur cum periculo vitæ; ut quando agitur de baptizando parvulo moriente; vel de audienda confessione moribundi actum contritionis elicere necessitatis, vel si confiteri non possit peccata sua, & probabiliter creditur attritus, per exhibitionem Sacri Viatici, aut Extreme Unctionis valeat fieri contritus. Ideo seclit ventris materni non cadit sub precepto, quia factus potest salvari, & baptizari, si statim mortua matre, ejus venter fecerit, ut de Julio Cæsare referunt historici, & de S. Raimundo Nonnato testatur Breviarium Romanum die 31. Augusti. Et ego dixi de Baptismo. Decif. XLI.

27 Concludendum est igitur Præceptum charitatis erga proximum obligare non solum Parochos, sed etiam simplicem Sacerdotem sub mortali ad dandam extremam Unctionem cum propriæ vitæ periculo, si detur casus, in quo infirmus existens in peccato mortali nefasit elicere actum contritionis, sed solius attritionis, ac confiteri non possit Sacramentaliter peccata sua, vel ob desperatam loquelam, vel ob lapsum in phrenesim; quia in tali casu censetur esse in extrema necessitate salutis spiritualis, cui postponenda est vita corporalis, tum Parochi, si adfit, (tam ex charitate, quam ex iustitia,) tum cuiuscumque alterius Sacerdotis, qui dicit, Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos; ut & vos diligatis invicem, sicut dilexi vos; ut & vos diligatis invicem. Jo. 13. 34. quod mandatum explicans idem Apostolus 1. Jo. 3. 16. dixit: In hoc ergo cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit; & nos debemus pro fratribus animas ponere; scilicet illos abducendo à peccato; quod plenè ego demonstravi etiam in Decisionibus de Venerabili Eucharistiæ Sacramento Decif. 61. num. 29. ubi pluribus DD. al-

De Sacramentis in genere.

legatis probavi, quod in defectu Parochorum simplices Sacerdotes sunt obligati ex precepto charitatis administrare Sacramenta peste infectis, & potissimum hanc obligationem existeri in Sacerdotibus Regularibus Mendicantibus, qui à Civitate aluntur elemosynis, ut latius d. Decif. 61. n. 31. Corollarit loco addere licet ea, quæ scribit Zacchias in Q. Medicolegal. tom. 2. lib. 1. consil. 71. num. 3. videlicet, quod Medicus tenetur mederi infirmo in periculo existenti, aliàs mortaliter peccat, ut docet Ripa in tract. de Peste num. 88. maxime ubi alius Medicus non sit, cujus opera infirmis subveniri possit; quod etiam notavit Joannes Baptista Silvaticus in suo Medic. cap. penult. & poterit ab Episcopo obligari, & compelli sub censuris ad medendum, quando infirmus in manifesto vitæ periculo positi. Ripa d. num. 88. & in tali periculo esse dicuntur omnes peste infecti. Barbosa de Episc. alleg. 25. num. 52. adeo ut tempore pestis unus Medicus etiam non sit à publico conductus, aliis Medicis non existentibus, cogi potest ad medendum, ut firmat Zacchias d. consil. 71. n. 26. quæ si vera sunt, prout verissima circa periculum salutis corporalis, quanto magis verificari debent circa Medicos animarum, quando in periculo salutis spiritualis sunt constitutæ?

DECISIO LXXIII. ARGUMENTUM.

Duo sunt cardines, super quibus voluit hæc Decisio: Causæ scilicet, ex quibus oritur Pests; & remedia ad ipsam vel evitandam, vel fugandam: Causæ aliæ sunt naturales, aliæ supernaturales. Illæ, corruptio aeris, & contactus rerum peste infectarum. Hæc, hominum flagitia. Aer corrumpitur novem fecundariis causis hic relatis. Contactus inficit irreparabiliter, ut ex adductis exemplis. Pestilentiam mitti à Deo ob peccata hominum probatur Scriptura Sacra, & Historiis. Remedia vel sunt humana tum ad medendum, tum ad præservandum à Peste, quorum plura notantur, præcipue in administrandis Sacramentis peste infectis; vel sunt remedia cælestia, nempe intercessio Deiparæ, S. Sebastiani, S. Rochi, & aliorum Sanctorum, de quibus eruditiones variaz, & jucundæ. Historia Templi Sanctæ Mariæ Salutis Venetiarum, & translationis Imaginis Deiparæ in Ecclesiam P. Carmelitarum Civitatis Paduæ.

SUMMARIUM.

- 1 Aeris corruptio, & contactus rerum peste infectarum sunt causa pestis.
2 Pestilentia an à sola aeris corruptione procedat?
3 Variolæ, & morbilli contrahuntur à pueris ab aere corrupto.
4 Halitus pestiferati inficit alios peste.
5 Aer corrumpitur, & fit pestifer ob novem causas hic relatas.
6 Arbores vicini noctivæ vicine de jure incendunt.
7 Serici arifices expelli possunt à vicinis ob malum odorem.
8 Cadavera insepulta tam boninum, quam brutorum causant Pestem.
9 Contactus rerum peste infectarum est causa pestis.
10 Annulis illitis venenato liquore Mediolani, ac Venetiis introducitur pestis.
11 Mercium peste infectarum contactu pestis diffunditur.
12 Morbus gallicus, Phthisis, & lepra contrahuntur ex contactu.
13 Hercules peste infectus à veste pestiferata.